

**1317, October 28.****180.**

*Bodo, Abt zu Berge, bekennt dem Thesaurarius des Stiftes St. Nicolai in Magdeburg, Theodor von Eilsleben, einen jährlichen Getreidezins von 1 Wispel Weizen von einer Hufe Landes in Hallingsdorfer Flur für 15 Mark Brandenb. Silbers verkauft zu haben, welchen Zins der von Eilsleben als Seelgeräth für sich und seine Geschwister dem Kloster legirt habe.*

In nomine domini amen. Quoniam omnium habere memoriam et in nullo peccare divinum est potius quam humanum, ut igitur actionem, quam ratio mater edidit novercans, oblivio non infringat, cautum est eam honestorum virorum testimonio scriptique memoria confirmari. Hinc est quod nos Bodo dei gratia abbas ecclesie sancti Iohannis baptiste extra muros Magdeburgenses recognoscimus presencium vi tenoris publice protestando, quod honorabili viro domino Theoderico de Eylleve, thesaurario ecclesie sancti Nycolai Magdeburgensis, domini Arnoldi prioris et tocius nostri conventus accedente consensu pro XV marcis Brandenburgensis argenti nobis integraliter persolutis et in usus ecclesie nostre conversis vendidimus de manso sito in campis ville Haldingestorp, quem quondam Theodericus miles dictus Harkestro a nobis et a nostra ecclesia iure tenuit pheodali, unum chorum tritici annue pensionis iure proprietatis perpetuo possidendum, qui de nostro seu abbatis qui pro tempore fuerit granario in vigilia sancti Laurentii annis singulis tribuetur. Idem vero dominus Th. dictum chorum tritici pro remedio animarum sue videlicet et domini Hinrici de Ronys fratris sui et Adelheydis sue sororis salubriter legavit ac titulo proprietatis donavit volens ut sue tantum vite temporibus dictorum Hinrici militis et domine Adelheydis memoria seu anniversarius in vigilia sancti Laurentii cum summis vigiliis et missa animarum cum accensione quinque candelarum et pulsatione magnarum campanarum in nostra ecclesia annis singulis solemniter peragatur. Cum autem domino placuerit dictum dominum Th. de medio evocari, tunc dictorum domini Hinrici et domine Adelheydis memoria una cum anniversario dicti domini Th. in die sui obitus anniversario sollempniter ac perpetuo peragetur. Obredientarius quoque sive karitatum magister de predicto choro tritici sibi de nostro granario presentato custodi et ecclesiastico suas portiones et ad elemosinas pauperum quinque solidos ministrabit. Residuum autem per modum servicii fratribus distribuet, ut est moris. Vt itaque hec universaliter singula et singulariter universa a nobis et nostris successoribus irrefragabiliter et efficaciter observentur et robur sorcientur (!) firmitatis perpetue, ipsa conscribi fecimus et sigillorum nostri videlicet et nostri conventus appensione muniri. Testes huius sunt: dominus Iohannes Ierdach, dominus Iohannes de Ascharia et dominus Anno de Campo, nostre ecclesie confratres, dominus Iohannes decanus, Fredericus de Redere et Albertus de Vrsleve, canonici ecclesie sancti Nycolai Magdeburgensis in novo foro, et quam plures alii fide digni.